



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *KABALENAE NOVA DIOECESIS IN
UGANDENSI TERRITORIO CONDITUR,**

NOMINE «KABALENA». Quod Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando, gravissimo Domini mandato (Mc. 16, 15) obsecutum, faciendum censuit, de sententia venerabilis Fratris Ioannis Mariae Ogez, Episcopi Mbararaënsis postque auditum venerabilem Fratrem Vidonem Del Mestri, Archiepiscopum titulo Tuscamiensem atque Apostolicum in Africa Orientali Delegatum, ut scilicet, diviso territorio dioecesis Mbararaënsis, nova conderetur Ecclesia, laeto animo adprobamus, atque summa Nostra auctoritate fieri iubemus; spes enim est ut animorum bono hoc feliciter cedat. Apostolica igitur Nostra potestate decernimus ut territorium civilis districtus Kigezi cognominati a dioecesi Mbararaënsi seiungatur atque in dioecesis formam redigatur, *Kabalenae*, ab urbe principe, appellandae. Sedem suam Episcopus figet in urbe Kabale appellata, cathedram autem pastoralis magisterii in templo Dominae Nostrae a Rushoroga vocatae dicato, ibi exstante. Decernimus insuper ut nova dioecesis metropolitanae Sedi Rubagaënsi sit obnoxia atque sacerdotibus cleri dioecesani concredatur, qui nulli labori parcent, spes est, ut christianae fidei flammam in suis concivibus magis in dies alant. Sedi etiam eiusque Praesulibus omnia iura facimus, onera et obligationes imponimus quae catholici orbis dioecesium earumque Pastorum sunt propria. Ob locorum autem huiusque temporis adiuncta concedimus ut Canonicorum loco Consultores dioecesani ad iuris normam deligantur, qui Episcopo consilio assint. Curet etiam Episcopus ut, quantum fieri poterit, Seminarium condatur pueris excipiendis qui sacerdotio initientur. Ceterum haec Nostrae voluntatis documenta exsequenda curabit venerabilis Frater Vido Del Mestri, quem memoravimus, vel ille qui eo tempore quo ad effectum operis veniendum sit Apostolicae Delegationi in Africa Orientali praeerit, facta potestate et alium virum ad hoc delegandi, si opus sit, dummodo ecclesiastica dignitate praeditum. Qui vero rem perfecerit onus habeat factae territorii divisionis novaeque dioecesis constitutionis documenta exarandi, eorumque fide digna exemplaria ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittendi. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam isdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti

simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die primo mensis Februarii, in festo S. Ignatii Antiocheni Episcopi et Martyris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

<p><i>Pro S. R. E. Cancellario</i> HAMLETUS I. Card. CICOGNANI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i></p>	<p>GREGORIUS P. Card. AGAGIANIANI <i>S. Congr. de Prop. Fide Praefectus</i></p>
-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------	-------------------------------------------------------------------------------------

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*

Sylvius Romani, *Proton.*

Apost.

*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 8, pp. 565-566 © Copyright 1966 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana